

tur ad regulationem; ad hoc enim obligatur voluntas, ut sequatur regulam rationis, vel id quod sibi ut regula proponitur ad bene agendum. Non ergo obligatur voluntas ab altera voluntate, nisi quatenus regulativa ejus est, quia voluntas intra regulam tenetur habere actus suos, et ad hoc obligat lex, ut conformetur illi. Cum autem voluntas legislatoris non possit obligare physice voluntatem subditi, quia voluntas non potest physice cogi, aut ligari, solum moraliter illam obligat: moralitas autem consistit in conformitate voluntatis ad regulam rationis. Et ideo apponendo efficaciter illi determinatam regulam ad agendum dicitur lex moraliter ligare tali regula: regulare autem voluntatem est proprium intellectus. Obligatio ergo regulationis sequitur formaliter ad actum intellectus præsupposito actu voluntatis efficaciter apponente illam regulam. Hæc pro natura voti observa.

## ARTICULUS II.

*Utrum conveniens sit orare?*

I. In titulo ly conveniens non ponitur pro eo, quod est rectum rectitudine morali, nec pro eo, quod est necessarium ratione præcepti, sed pro eo, quod est utile, et expediens ad obtinendum finem: licet enim soleat accipi ly conveniens pro bono morali, tamen in hoc articulo solum discutit D. Thomas, an oratio sit conveniens quasi medium utile ad obtinendum finem intentum, ut patet ex ipso contextu: sequenti vero articulo ubi inquit, an sit actus religionis, consequenter etiam inquit, an sit conveniens bonitate morali, quæ est convenientia ad rationem; ibique argumento secundo

tractat D. Thomas de necessitate orationis proveniente ex præcepto, non vero hic, ut facit magister Torres. Similiter ly orare sumitur pro quacumque oratione erga Deum, sive mentali, sive vocali. Unica conclusione satisfacit D. Thomas: Oratio ad Deum est conveniens, et utile medium ad aliquid obtinendum. Probat D. Thomas in argumento Sed contra ex illo Lucæ XVIII: *Oportet semper orare, et nunquam deficere*, ubi ly oportet est idem, quod conveniens, et ad litteram loquitur Christus Dominus de efficacia orationis ad aliquid impetrandum, ut patet ex conclusione totius parabolæ in illis verbis: « Audite quid iudex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet vindictas electorum suorum clamantium ad se die ac nocte. » Igitur oratio est maxime conveniens, et medium efficax ad impetrandum aliquid a Deo.

II. In corpore articuli ut probat S. Thomas convenientiam, et utilitatem orationis præsupponit prius errores, qui circa orationis utilitatem fuerunt apud antiquos, dum alii nimium attribuiebant orationi, alii nimium detrahebant. Quidam enim negabant res humanas subiecti divinæ providentiæ, sicut et modo faciunt atheistæ, ex quo consequebatur, nihil quod ad hominem pertinet, posse impetrari a Deo; alii vero putaverunt res humanas ex necessitate contingere, ac proinde nihil ad illas deservire orationem; ad quam etiam classem reducitur Lutherus, et alii hæretici nostri temporis, qui æstimant superfluum esse orationem in his quæ ad justificationem nostram pertinent; eo quod existiment fieri sola fide, qua credimus dimissa esse nobis peccata, et Calvinus qui existimat necessitari voluntatem nostram ab auxilio divino; alii denique per aliud extremum nimis attriuentes orationi, existimabant ip-

sam ita esse efficacem, ut posset mutare decreta divina. Hæc autem omnia aut tollunt divinam providentiam (contra quod disputatum est prima parte, quæstione XXII) aut tollunt modum divinæ providentiæ, quæ ita gubernat omnia, ut nullius inferioris agentis modum tollat, sed potius præbeat, contra quod agit S. Thomas I part. quæstione XIX, articulo VIII, et quæstione CV, aut denique tollunt immutabilem Dei, contra quod agit doctor sanctus I part. quæstione IX. Quare oratio talem utilitatem, et convenientiam debet habere, ut neque ex illa in rebus humanis ulla necessitas ponatur, neque in Deo mutabilitas.

III. Hæc autem omnia manifeste deducuntur ex illo unico, et verissimo principio, quod ad divinam providentiam pertinet, non solum disponere, quod effectus fiat, sed ex quibus causis, et quo ordine, et modo fiat, quod constat ex eo, quod providentia divina est providentia causæ primæ, et universalissimæ, cui necessario subicitur omne id quod participat entitatem. Ex hoc principio infert D. Thomas, quod cum actus humani sint causæ aliorum effectuum, oportet, quod tales effectus ordinentur a Deo ut implendi, et efficiendi per tales causas: oratio autem est quidam actus humanus, qui adhibetur ad aliquid obtinendum tamquam effectum suum: oportet ergo, quod aliqui effectus ordinentur a Deo ut implendi per orationem: igitur oratio est medium conveniens, non ad movendum et immutandum voluntati divinæ, sed ut medium, quo disponit voluntas divina aliquos effectus efficere, et implere.

IV. In hac ratione D. Thomæ ut exacte intelligatur, tria advertent. Primum est, quod cum ratio sit petitio quædam, quæ adhibetur tamquam causa seu medium ad aliquid

obtinendum, potest habere rationem causæ, et influxus in ordine ad duo videlicet, et respectu personæ a qua petimus, et respectu objecti, seu rei, quam intendimus obtinere. Et quidem respectu personæ, a qua petimus, habet oratio rationem causæ moralis, quatenus impellit, et excitat superiorem, ut inclinetur ad exhibendum, quod petimus: respectu vero objecti, vel rei, quam intendimus obtinere, habet oratio rationem causæ dupliciter. Uno modo mediate, et remote, scilicet mediante excitatione, et motione superioris ad præbendum rem illam, ut dictum est: alio modo ut conditio, quam requirit superior in inferiore ad exhibendum id, quod petit, quia, etsi velit rem illam dare, non tamen nisi ab illo petatur, et inferior se illi subiciat, et quasi hoc medio mereatur sibi rem aliquam præberi, sicut contingit velle regem familiari suo aliquod beneficium exhibere, tamen ut ordine debito sibi conferratur, monet illum, ut petat a se tale beneficium: et sicut ille, qui vult dare præmium, non tamen nisi mediante merito illud dare vult. Ita contingit quod aliquando superior velit rem aliquam dare, non tamen nisi inferior a se petat, et se illi subiciat. Et consequenter illa petitio, et subjectio est causa, et medium assequendi rem, sicut meritum est causa assequendi præmium.

V. Igitur D. Thomas ut explicaret convenientiam, et utilitatem orationis, non consideravit illam primo modo, secundum quod se habet ut causa moralis respectu personæ, a qua petimus, sed secundo modo, ut est causa eorum, quæ obtinere volumus. Non enim potest oratio se habere respectu Dei ut causa movens, et excitans ipsum, quia Deus nihil extra se respicit ut causam etiam moralem, sed omnia ut effectus. Cæterum ex parte

objecti considerat Deus unum esse causam alterius, et disponit, quo ordine unum fiat propter aliud, et ex alio juxta illud Judith ix : *Tu fecisti priora, et illa post illa cogitasti, et hoc factum est, quod ipse voluisti.* Et sic oratio est conveniens, et utilis non tamquam causa movens et impellens Deum ad dandum, sed tamquam causa sub ipso ordinata ad obtinendum per illam aliquid, tamquam per conditionem, et medium dispositum a Deo, ut non aliter daretur nobis, quod volumus, nisi explicando ei nostrum desiderium petendo, et subjiciendo nos ipsi. Et quia multi consideraverunt, orationis tamquam causam moventem Deum, ideo erraverunt putantes, aut Deum mutare decreta, aut orationem esse superfluum tamquam non potentem aliquid obtinere, quia omnia ex immutabili ordinatione provenirent. D. Thomas autem salvat convenientiam orationis cum immutabilitate Dei, considerando, quod oratio non ad hoc statur, ut moveat Deum, sed ut causa, seu medium dispositum a Deo, et subordinatum ei ad præbendum mediante illa aliquem effectum; sicut disponit sua seu alias causas secundas naturales, aut morales, ut per illas, et non aliter, faciat aliquos effectus, ut quod mediante igne producat calor, et mediante ordine judicis puniatur malefactor.

VI. Secundo advertit, quod ex hac admirabili, et solida sancti doctoris doctrina elevare debemus mentem nostram, ut consideremus convenientiam, et efficaciam omnium auxiliorum Dei, et eujuseunque medii, aut concursus ad actus nostros semper provenire ex subordinatione ad Deum, non ex nostra cooperatione, aut efficientia, quia quæcumque convenientia, aut efficacia in mediis, et causis secundis,

quæ adhibentur ad operandum, debet ex providentia divina originari, et descendere, quod totum radicaliter fundatur, et reducit ad principium, quod hic ponit D. Thomas, quod ex providentia divina non solum disponitur, qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis, et quo ordine proveniant. Ex hoc quippe principio infertur, quod quando Deus non disponit causas inferiores ut agant, et ordinem quo debent agere, nunquam effectus intelligentur provenire; si quidem effectus, ut fiant, prærequirunt causas a quibus proveniant, et præsupponunt ordinem, a quo proveniant. Unde si ad solam providentiam divinam pertinet disponere ex quibus causis, et quo ordine proveniant effectus, antecedenter ad divinam providentiam nullus potest effectus relucere, nec aliquid, in quo fundetur efficacia aliqua effectus faciendi, quia omnis talis efficacia est aliquid, ex quo provenit effectus, et consequenter vel causa effectus, vel ordo, quo fit effectus: et totum hoc ex dispositione divinæ providentiæ provenit.

VII. Et sicut nihil potest transire de possibilitate ad esse, nisi per voluntatem Dei causantem illum transitum, sic nihil est medium inter possibile, et inter futurum, seu esse absolute, quod independenter a voluntate sua Deus videat, aut provideat, sed quidquid pertinet ad causam, aut ordinem, quo effectus debet provenire primario originatur ex voluntate, et providentia Dei. Et ita destruitur omnis positio, quæ ad conciliandam nostram libertatem cum efficacia, et immutabilitate decretorum Dei recurrit ad aliquid extra Deum, quod nostra voluntas intelligatur cooperari, aut addere ad divinum influxum antecedentem ad voluntatem Dei absolute operantem, sed potius in ipsa operatione,

et absoluto influxu Dei concilianda est nostra libertas, quia non solum ex ipso descendit effectus liber, sed etiam modus libertatis, seu ordo, quo fit, et procedit a causa libera. Et vide quomodo hoc ipsum docuerit S. Augustinus, libro de prædestinatione sanctorum, capite xvii: « Hæc est, inquit, immobilis veritas prædestinationis, et gratiæ, nam quid est, quod ait Apostolus: Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, quod profecto si propterea dictum est, quia præscivit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes, contra istam præscientiam loquitur Filius dicens: Non vos me elegistis, sed ego eleger vos. » Et subdit: « Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit. » Hæc nota, et disce conciliare libertatem nostram in eo, quod Deus facit, et videt se facere, non in eo, quod præscit non facturos, aut cooperaturos antecedenter ad decretum Dei.

VIII. Tertio advertendum est, quod D. Thomas hic solum ostendit directe orationem esse utilem, et convenientem, et ideo solum refert illos errores, qui absolute enervabant utilitatem, aut convenientiam orationis. Utilitas enim tollitur per hoc quod existimatur oratio tamquam aliquid superfluum, ut existimant illi, qui subtrahunt res humanas a providentia divina, aut ex necessitate provenire dicunt. Tollitur vero convenientia orationis ab his, qui existimans illam esse aliquid disconveniens, quia dicunt adversari immutabilitati Dei. De erroribus vero hæreticorum non circa ipsam utilitatem orationis, sed circa modum utilitatis, non curavit S. Thomas. Fuerunt autem duo: quidam enim nimis attribuentes orationi putabant ipsam solam sufficere ad salutem, ut de Messalianis refertur

a Castro, hæresi prima. Qui error valde absurdus est, cum tollat necessitatem sacramentorum, et virtutum theologiarum, quod impugnatione non indiget: alii vero utilem existimabant orationem; errabant tamen circa ea, quæ per orationem obtinentur, quia nolebant concedere, quod provenirent ex gratia, et beneficio Dei, sicut Pelagiani, qui ex una parte existimabant gratiam Dei esse utilem solum ad facilius implenda mandata, non ad simpliciter, ut constat ex Augustino libro de hæresibus, hæresi lxxxviii, et consequenter neque orationem esse simpliciter necessariam ad implenda mandata asserebant.

IX. Ex alia vero parte nullo modo concedebant esse utilem, aut necessariam gratiam divinam ad hoc, ut ex nolentibus, et invitis faceret volentes; in hoc enim puncto nunquam Pelagius, et ejus discipuli voluerunt cedere catholicis, licet admitterent gratiam Dei adjuvare nostrum bonum propositum, et ad hoc adjuvandum esse necessariam, ut constat ex eodem Augustino libro secundo contra duas epistolas Pelagianorum, capite v, et capite viii et ix. Et ideo negabant etiam deservire orationem nostram, ut Deus ex nolentibus faceret volentes. Unde valide eos arguit Augustinus epistola cvii ad Vitalem, et libro de prædestinatione sanctorum, capite viii: « Si non, inquit, facit volentes ex nolentibus Deus, quid orat Ecclesia secundum præceptum Domini pro persecutoribus suis? » Fatendum est ergo orationem esse utilem, et necessariam ad omne bonum, quod a Deo nobis provenire potest, dummodo sit bonum, honestum, et decens. Quomodo vero sit necessaria necessitate medii, aut præcepti sequenti articulo disseremus.

X. In calce hujus articuli libet notare, quod pater Suarez tomo secundo

de religione, lib. I, capite VI, numero XI existimat, quod Deus in præcipuis effectibus gratiæ, qui mediantibus orationibus executioni mandantur, habet efficacem prædeterminationem, et decretum præordinativum illorum ante prævisas orationes, esse vero necessarias ad executionem prædefinitionis, et decreti efficacis ex alia posteriori dispositione, et decreto Dei. Cur autem Deus postulet tales orationes, si ante prævisionem illarum habet voluntatem efficacem faciendi tales effectus? Respondet id esse ex generali ratione, quia vult admittere nostram cooperationem, ubi locum habere potest; et ut nobis detur occasio accedendi, et colloquendi cum illo, quæ est maxima utilitas orationis.

XI. Hanc doctrinam non vacat hic fusius discurre, tractari enim solet prima parte, quæstione XXIII, et III parte, quæst. I, art. III; solum advertit, quod in decretis divinis potest efficacia attendi, vel ordine intentionis, et secundum voluntatem finis; vel ordine executionis, et secundum voluntatem, et dispositionem mediorum discernendo executionem effectus. Efficacia voluntatis circa finem antecedit efficaciam voluntatis circa media, quia efficacia executionis pendet ab efficacia intentionis. Cæterum decretum efficax de executione, et futuritione rei implicat, quod sit efficax ea efficacia quæ convenit Deo, quamdiu non includit omnes circumstantias, et modum quibus faciendum est, quia efficacia prædefinitionis divinæ est efficacia causæ universalissimæ attingentis omnes modos, et ordines, quibus effectus ponendus est in re; et ita implicat, quod habeat hanc efficaciam universalissimam, si executio ejus pendet ab aliqua posteriori executione; antecederet enim ad illam posteriorem dispositionem intelligeretur decretum Dei

efficax quasi suspensum, quod repugnat efficaciæ divinæ, juxta illud Rom. IX: *Voluntati ejus quis resistit?* et Isa. XIV: *Dominus exercituum decrevit, et quis poterit infirmare? Et manus ejus extenta, et quis avertet illam?* Universalissimum enim decretum divinum, nullum extra se relinquit ad affectum requisitum, qui possit illud avertere. Igitur decretum efficax in Deo nunquam habet integrum, et sufficiens motivum efficaciam, quousque respiciat, et attingat omnes modos, et circumstantias, ut ponatur in re. Ex eo enim quod divina est, est independens a quocumque superiori, et universalissima respectu cujuscumque inferioris: ergo quousque intelligatur attingere omnes modos, quibus res ponetur in re, non intelligitur efficacia illa, ut divina, sed censebitur voluntas antecedens, et inefficax quæ respicit rem non absolute, et secundum omnes modos, sed quantum ad aliquid tantum.

XII. Et illud argumentum, quod multos inperitos torquet, quod si Deus discernit aliquid mihi dare, vel me salvare infallibiliter dabitur, etiam si non petam ego, vel aliud aliquid agam, ex doctrina data solvitur clarius, quam ex doctrina Suarez, quia decretum Dei de dando vel faciendi aliquid non est efficax, et infallibile, nisi quando includit omnes modos, et ordines requisitos ut res fiat, et consequenter sine illis nunquam ponetur in re; et quia Deus sæpe determinat, ut per orationes aliquid nobis detur, et quod aliquid determinetur, vel prædestinetur faciendi talia opera, ideo sine talibus mediis non obtinebitur ille effectus, quia antecederet ad decretum de illis mediis non est in Deo efficax decretum de faciendi effectum. In sententia vero Suarez urget, quia antecederet ad prævisionem ora-

tionis jam erat efficax decretum Dei faciendi id, quod petimus.

## ARTICULUS III.

*Utrum oratio sit actus religionis?*

I. Titulus clarus est, et ly actus ibi supponit pro actu proprio, et elicitio, ut patet in calce corporis articuli. Neque enim D. Thomas agit hic de actibus imperatis a religione, sed de propriis. Ex articulo has quatuor conclusiones habes. Prima, quæ directe respondet quæsitio, scilicet quod oratio est proprie actus religionis, intellige in ly proprie elicitive, et quantum ad speciem actus: secunda conclusio solutione ad primum: Actus devotionis est præcipuus inter actus religionis, et post illum oratio: tertia conclusio solutione ad secundum: Oratio est in præcepto: quarta conclusio, solutione ad tertium: Materia, quæ offertur in cultum Dei per orationem, est mens nostra quæ præsentatur Deo.

II. Primam conclusionem, quæ principalis est probat sanctus doctor primo in argumento Sed contra, quia dicitur in Psalmc CXL: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*: et gloss. dicit: « Quod incensum offerebatur in odorem suavem Domino in figuram orationis: » hæc autem pertinet ad religionem; ergo oratio est actus religionis. Huic tamen consequentiæ D. Thomæ obstat, quod oratio non est formaliter, et essentialiter oblatio, sed petitio, et elevatio mentis in Deum; ergo quando oratio comparatur incenso, et oblationi, non fit comparatio in eo quod formale est in oratione; et consequenter neque ex hoc inferitur, quod essentialiter sit actus re-

ligionis, sicut neque essentialiter est oblatio.

III. Respondetur, quod oratio essentialiter est oblatio, ut dicitur solutione ad tertium, quia per illam offertur mens cum reverentia ad Deum, et ipsa petitio, seu elevatio mentis non repugnat quod etiam sit oblatio interior, et spiritualis, quia est subjectio petentis, et indicantis necessitatem suam: sic enim exhibet, et præsentat mentem indigentem Deo: præsentare autem est offerre. Tu vero perspicue altitudinem sensus sacræ Scripturæ, dum orationem comparat incenso, et dicitur dirigi non ad odoratum, sed ad conspectum Dei, quia videlicet, licet incensum, ut possit fimum emittere, debeat præsupponere ignem, cui superponatur, tamen non ipsius ignis, sed incensi est fimum ille. Sic oratio licet præsupponat actum voluntatis, et desiderii quasi calorem, non tamen est actus voluntatis, sed intellectus, qui per fimum quasi per cognitionem necessitatis, et priorum defectuum dirigitur ad Deum, et propterea non dicitur dirigi ad odoratum, sed ad conspectum Dei, quia non defert suavitatem, quæ delectet, sed potius miseriam petentis, cui succurrat. E contra vero quando odor non a fumo incensi elevatur, sed ex charitate, et humilitate, non ad conspectum, sed ad accubitus Dei, quasi ad delectationem, et quietem dicitur ascendere, Cantic. I: *Dum esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum*, quia humilitas cum calore charitatis, quod totum nardus designat teste Bernardo, quæ est humilis, et calida herba, non ad conspectum Dei dirigitur, sed ad accubitus, quia charitas unione Dei fruitur. Et ita distingue cum D. Bernardo sermone XLII in Cantica, quod: « Est humilitas quam nobis veritas parit, et non habet calorem